

D. F. F. Q. S.

PROPOSITIONES PHILOSOPHICÆ

De

**ARTE NATANDI,**

Quas

Quin consensu Amplissime Facultatis Philosophicæ in  
Regia ad Auram Academia,

Sub PRÆSIDIO

VIRI Amplissimi atque Celeberrimi

Mag. NICOLAI HASSELBOM,  
Mathem. Prof. Reg. & Ord.

Pro solitis in Philosophia honoribus publica disquisitione  
examinandas,

In Auditor, Sup. ad d. II. Junii, hor. a. m. f.,  
Anni M.DCC.XXXII.

modestia qua par est, sifit

Alumnus Regius

PETRUS FOLIN,  
Wex. Smol.

A B O Æ,

Excud. Reg. Acad. Typogr. Joh. Kiämpf.

Erand. Sirelius.  
12.

Le<sup>c</sup>dori Benevolo Salutem!

**N**E mireris, L. B., me a via illa, quam pridem ingressus sum, nonnihil jam deflexisse: factum enim hoc est non oblivione promissi, aut desultoria quadam levitate, sed mutuato a necessitate consilio, cuius rigidissimis rationibus nemini non parendum est. Evidem ea mente fide dignissimis experimentis circa generales quasdam aqua proprietates viam sternere priore qualicunque specimen cogitabam; ut proxima, quam sors daret, occasione, per observationes & experimenta in his septentrionalibus oris, vel instituta, vel instituenda, ad reliqua ex Aquarum doctrina, specialiore imprimis, liber statim transitus pateret. Ast, quin in hoc iam pergere possim proposito, varia obstant impedimenta. Quamobrem, habita non solum ratione sumtuum & penuria instrumentorum, quibus experientia instituerentur, sed etiam valetudinis & imperata brevitatis, cum de alio dispiciendum esset argumento; subibat animum cogitatio de Arte Natandi. Placuit illico hac, quod disputationis materiam studio brevitatis aptam, minus tritam & affinitatis vinculo cum priore de Aqua conjunctam continere videatur. Que bujus argumenti sit dignitas, satis ipse, L. B. vides. Sequentem tumultuaria opera conscriptam ejusdem tractationem minori perstringere censura in humanitate Tua summa unico situm est. Fixos autem ipsi tractationi hos volui limites, ut exposita breviter gravitatis corporum aquis innatantium natura, qua ex natatu piscium ad illustrationem argumenti pertinere visa fuerint afferam: deinde per nonnullas propositiones de corporis humani struttura, quatenus in genere natarii acta esse possit; de ejusdem gravitate specifica, centro gravitatis, respirationis negotio & requisitis ad natandum; de origine & utilitate artis natandi, tandemque de subsidiis, quorum ore homi sub aquis aliquam liti vitam agere possit, leviter sin alterus Vale L. B. & favo!

A

PRO-

## PROPOSITIO I

*Corporum eorum naturam explicare, quæ aquis innatent.*

**L**Arga omnino controversiarum messis ex speculationibus Philosophorum de gravitatis causa excrevit, quam qui demetere cupit sterili conatus frustrabitur. Exercuerunt quidem se in hoc campo acutissimum hypothesis falcibus summa ingenia; quid tamen commodi, vel ipsius, vel posteris exinde manerit difficile est pronuntiatur. Longe autem major experientiæ laus ab estimatione effectuum gravitatis secundum rationes mechanicas demonstrabiles nata est, quod suis illa laboribus societati humanæ uberrimum generata sit fructum. Detexit illa corporum omnium materiam pro ratione quantitatis seu massæ æque esse gravem, quæ verius centrum telluris, tamquam fixam sibi immutabili naturæ lege metam, vi insita tendens, in medio fluido resistentiam sui voluminis rationi proportionalem invenit. Nata exinde est *gravitas Philosophis specifica dicta*, quæ in omnibus corporibus se respective habet, nihilque aliud notat quam excessum gravitatis aut defectum cuiuscunq; corporis ad aliud in volumine æquali. Specificæ hujus gravitatis rationem Vari exquisitæ in scientia naturali experienciæ, Boyle, Mariottus, Newtonus, Sengwerdus, S' Gravesande, aliquie inierunt & defixerunt. Ex nostratisbus Amplissimus Dominus Trievald; qui si quis alias, regiam philosophandi vi-

<sup>2</sup>  
am in physicis calcavit, vernacula nobis lingua publicavit in suis prælectionibus tabulam Hauksbeanam de corporum variorum gravitate specifica, quam præclaro suo Scripto suecano postmodum inseruit Doctissimus Dn. Dan: Meensds, *de usu Nove Bilancis Hydrostaticæ*, e qua sequentia excerpta sunt:

Aurum purum	- 19.	640.	Oleum Vitriol	1.	700.
Argentum vivum	14.	000.	Serum Sangvin.	1.	190.
Plumbum	- 11.	325.	Spir. tal. armon.	1.	120.
Argentum puriss.	11.	091.	Lac	-	1. 030.
Aes	-	9. 000.	Aqua marina	1.	030.
Ferrum	-	7. 645.	Aqua dulcis	1.	000.
Stannum	-	7. 320.	Suber	-	0. 240.
Sal gemmæ	-	2. 143.	Abies exsiccata.	0	550.
Nitrum	-	1. 900.	Cera	-	0. 995.
Sulphur	-	1. 800.	Aér	-	0. 001.

Quoniam jam unumquodque corpus, perpetuo vi gravitatis deorsum tendens, inferiora premit & in illa instar potentiae agit, cuius intensitas materiæ quantitati est proportionalis; necessario contingit, ut, ubi in corpus fluidum specie levius agat, quod reactione æquali nisum descensus eludere nequit, prævalens gravitas illud loco pellat quod levius est, ejusq; locum occupando suæ directionis lineam producat, donec occurat obstaculum ejus actionem plane destruens, irritamque reddens. Quibus conficiuntur corpora omnia quæ aquæ immerguntur esse in triplici differentia: adeo ut specifica gravitate eam, quæ e. g. aquæ est, vel superent, vel æquent vel non

attīngant. Specifice graviora fundū petunt; æque  
gravia, aquæ immersa, ad quācunque profundi-  
tatem quiescant: leviora autem in aquæ superficie  
natant.

### COROLLARI M

**R**atio plurimorum naturæ phænomenorū ex hac demonstratione fluit: e. g. notissimum experimentum, quo quatuor sic dicta Aristotelicorum Elementa ob oculos ponuntur, vaporum & flammæ ascensus, Evaporatio chemica &c.

### SCHOLION.

**M**rum sane est; Philosophos insatiabili adeo ductis studio pro investiganda gravitatis caussa hactenus laborasse, nec unquam de extensionis aut numeri caussis curiosa & sollicita patiter mente semina dubitationum fertiliori gleba insevisse. Nam ut Deum omnia mensura, numero & pondere condidisse perspicuum habuerunt; & per observationes & experimenta viderunt quamlibet harum affectionum corporis revera in rerum natura dari: ita quoque non unam minus quam alteram corporibus naturalibus propriam & essentialem esse facillime animadvertere potuerunt; atq; adeo obvia est nulla sufficiens ratio, cur missa mensura s. extensionis, itemque numeri s. multitudinis caussa, solius gravitatis s. ponderis tanto molimine enucleandam aggredierentur. Quid enim prodest, aut quomodo possibile est, ut gravitatis potius, quam reliquarum affectionum primariarum corporis causas reddamus? etenim si de extensione & multitudine sufficit affirmasse, easdem a summa & infinita sapientia divina, ejusque liberrima dispositione dependere, quidni & idem de gravita-

4

se pronuntiasse sufficiet; quippe quam Deus singulis materia murariae particulis in ipsa earum productione indidit? Hinc ratio in promtu est, cur gravitates massis, corpora constituentibus, sint perpetua observatione proportionales. Prater hanc, si ad finem & usum gravitatis attendatur, non minoris se necessitate commendat ad conservationem totius universi s. ad motus perpetuitatem & coactionem, tum singularium, cum totalium mundi partium, quam extensionis, absque dubitatione pro essentiali habita. Nam masse, quantitate materiae aequae grandes, & consequenter aequae graves particulae homogeneae sibi relitta, semper coactiorum, atque ad centrum sue masse tendunt; quemadmodum aquam & liquores omnes videmus abire in globulos. Sic igitur non magis mirum est, ea omnia, quae in vortice terra ripariantur ad ejus centrum pergere pro ratione & diversitate gravitatis insita, quam quod aqua, mercurius vivus &c. abeant in spheras; quem effectum sive gravitatis, sive attractionis nomine peniat, non faciliter, quia suam caussam explicueris, quam extensionis & numeri; nisi forte satius erit, ad occultas qualitates con fugere & conjecturis potius inniti vanis, quam in divina sapientia, qua ad conservationem Universi hunc imperium materiae applicuit, fundatas fissere ratiocinationes.

## PROPOSITIO II

*In piscium naturam, qua natant, inquirere.*

**Q**uoniam opinionum commenta delet dies & naturae judicia confirmat, non temere scientiae naturalis studiosi ad cohabitationem cum ipsa Natura tantopere a cordatoribus Philosopher exhortantur. Ut enim puero arte aliqua imbuendo valde prodest ejus consuetudo, qui principatum artis discen-

scendæ tenet; sic physices quoque studioſo optime  
consulitur, si Naturam ducem habeat & magistrum.  
Ne igitur a regia observationum & experientiæ via  
deflectens illos imitari videar, qui philosophiam e  
proprio cerebello natam rebus naturalibus, invita  
non raro veritate, obtrudant, statim ad illam ca-  
thedram, e qua Natura de artificio natandi solidis-  
sime differit properabo. Constituto sic mihi in am-  
plissimo aquatilium theatro obveniunt *Pisces*, præpri-  
mis ad natandum a natura facti, quos absque ullo  
motu in vario situ & ad quamcunque altitudinem  
quietere conspicio; unde sequitur eos æquilibrium  
cum aqua possidere. Video eos prono natare cor-  
pore; ast illud non centro illorum gravitatis adscri-  
bendum duco, quippe quod in dorso, ubi copiosissi-  
ma caro & maxima pars ossea sita est, invenitur,  
& pisces secundum leges hydrostaticas supinos dis-  
poneret; sed duplicatis in duobus infimi ventris locis  
pinnis, quibus instar pedum suffulta & innixa corporis  
moles posituram requiei & natatui aptissimam  
lervat. Veritas experimento confirmatur, dum in  
pisce vivo has refecueris pinnas. Video præterea  
pisces etiam sine musculorum motu nunc ascendere  
nunc descendere, quod concluso ab admirando illo  
artificio mechanico, vesicam puto aëream, quam  
faventior natura ad promptissimam æquilibrii cum a-  
qua restitutionem vel immutationem eis induxit, de-  
pendere. Cum enim musculi abdominis dilatantur  
aër, vesica inclusus, elastica sua vi se expandit, & pi-

*scis*

scis majus quam ante in aqua implet spatium, sursumq; ab aqua pellitur: contra, cum iidem musculi constringuntur, comprimitur aer in vesica, & pisces, volumine nonnihil imminuto, specie gravior aqua suo ipsius pondere demergitur. Hoc quoque experientia suffragio stabilitur, si e pisce vivo haec vesica eximatur, non amplius pro lubitu ascendet, sed fundo perpetuo adhæredit. Video denique piscium caudam, & remigii, & temonis umerum in motu eorum locali præstare; gratis igitur assertum iverunt quidam auctores pinnas alarum piscibus pro remigio esse; Nam exilitas respectu molis movendæ repugnat, autopsia & experientia reclamant. Respirare insuper pisces observo, non pulmonum, quibus præter genus cetarium carent, ope, sed branchiarum, quas natura sub multiplici ordine molitur. nec hoc mirum, cum respiratio in singulis animantium ordinibus observetur. (\*)

### COROLLARIUM.

**E**X calculo virium muscularium demonstrari potest, ad natatum piscium majorem vim motivam requiri, quam ad volatum avium.

nere

(\*) Plura, ad hanc potissimum propositionem spectantia, qui noscere cupit, adeat consumatissimum Jo. Alphon. Borelli opus de Motu Animalium, ex quo ea bruxit Chaubinus, que sub sit. Natatus suo Lexico Philosophico inseruit.

### PROPOSITIO III.

*Corporis humani structuram, quatenus in genere natatui apta esse potest, examinare.*

**Q**uandoquidem reluctante natura labor est irritus, dispiciendum ante omnia venit, an naturæ munere homo ea gaudeat structura corporis, quæ natationis actui quodammodo aptari possit. Dignitatem erectæ corporis humani staturæ, exiguis pedum plantis insistentis, considerando, haud obscurum cuiquam est visu, fluidum, quod pondere magis quam aliqua cohæsionis resistentia corpora sustinet, gressibus humanis ineptum esse. Nihilo tamen secius, quum multa, quæ impedita natura sunt consilio expediantur, certamen cum *Natura* inire non dubitavit ejus simia *Ars*; partim excogitando rationem hydrostatica arte supra aquas ambulandi, ope cingulorum pneumaticorum ex corio bubalino paratorum; partim ad exemplum piscium hominem primum absque instrumentorum apparatu aquæ immergendo, ut simplicissimos naturæ processus curiose imitaretur; partim quoque variis modis sub aquam urinando. Ex iis autem, quæ Propos. I. de gravitate corporum specifica demonstravimus, sicut etiam ex natatu piscium, tanquam exemplari vivo & naturali facile patet, quid requiratur, ut quis natare possit; nimurum, primum certa ponderis ratio ad aquam; deinde centri gravitatis certus quoque situs, imprimis, ut animal pulmo. ibus præditum

ditum, naribus supra aquam manentibus, libere respirare possit: adhæc ut remigium & gubernaculum adsit; quin & libertas augendi, vel minuendi distantiam a centro gravitatis, ut pro lubitu natans fundum, vel altum petere possit. Quæ omnia quomodo in homine inveniantur, vel arte obtineri possint, in sequentibus nobis erit ostendendum.

### COROLLARIUM.

**A**RTEM volandi non æque ac natandi homini esse possibilem ex corporis structura patet.

### PROPOSITIO IV.

*In gravitatem specificam corporis humani inquirere.*

**F**X iis, quæ in antecedentibus tradita sunt, patet gravitatis specificæ corporum ad aquam præcipuam & primam, in natationis negotio, rationem habendam esse. Quare e re erit, eam, quæ corpori humano ad aquam propria sit rimari. Fieri autem hoc non potest, ut in simplicibus, per partes, quibus fabrica corporis humani confusa est, quod fluidæ & solidæ non eadem gaudeant densitatis ratione. Fieri tamen potest, immittendo corpus in aquam, & aestimando partem corporis supra aquæ libellam manentem, ejusdemque volumen & pondus. Supereminens in tali examine corporis portio indicat quidem hominem aqua nonnihil esse levioriem; ita tamen, ut illa levitatis prærogativa, ad quem-

9

quemlibet corporis situm applicata, pro libero respirationis exercitio obtinendo, nataturo haud sufficere posse deprehendatur. Adeoque si natans vestibus madefactis, aqua specie gravioribus, sit circumdatus, tanto majori opus habet virium molimine, quanto proprius ad volatus similitudinem ejus accedant conatus, duas pro simplici, operaciones conficiendi. Reliqua animalia tantum non omnia quoque specie leviora sunt aqua. De avibus hoc clariss constat, ex consideratione tam plumosi vestitus, quam aeris per pulmones in abdominalia viscera immisso. De quadrupedibus quoque, ex supereminentia, absque ullo motucorum motu, portione corporis, idem infertur.

#### SCHOLION

**N**on existim alienum hoc loco inferere rationem qui fiat, ut vivi corpora, aliquoties antequam suffocantur, attollantur; & quod suffocati primum fundunt petant, deinde post aliquid tempus in aquæ superficie natent. Futilis sunt rationes, ex certamine calidi et humidi in homine, desumptæ, & quæ his similes in medium allatae olim sunt. Cuneum nodo solvendo aptiorem Hydrostatica suppeditat: Ex hac enim liquet, corpus, aqua quidem levius specie, impetu infra aquæ superficiem descendere; ita tamen, ut motu quasi vibratorio denuo elevetur: quo in casu imperitus artis natandi, malum sëpe suum perversa membrorum agitatione augens, fatalem sibi accelerat ipte horam. irruente enim in exspirati æris

ris locum aqua, corpus humānum, gravius aqua specie factum, fundum petet, atque ab eo sustinebitur; donec magis, magisque relaxato musculorum, vasorumque tono, corpus putrefactionis æstu distensum, majus requirit volumen, atque sic aqua levius redditum, ab eadem quoque ad superficem pellicitur.

### COROLLARIUM.

**H**inc patet quid sentiendum de methodo, veteribus usitata, explorandi & judicandi de innocencia beneficarum feminarum, ex earum submersione vel emersione in aqua.

### PROPOSITIO V.

*Centri gravitatis naturam & suum  
investigare.*

**D**uplex in corporibus centrum considerationem meretur, alterum magnitudinis, alterum gravitatis. Prius, illud est in corpore punctum, a quo extrema quævis æque distant, sive idem illud sit cum centro gravitatis, ut in sphæra homogenea, sive diversum, ut in heterogenea. Posterior vero, est tale in corpore punctum, circa quod omnes corporis partes, in quounque situ positi, minent in equilibrio. Hoc vel geometrico, vel mechanico investigatur; prior methodus, ut certior, ita subtilioris quoque est indaginis: posterior vero, variis instituitur modis. Atque quoniam centrum gravitatis, intra corporis plerumque solidatem

tatem existens, oculis subducitur, quærenda sunt puncta in extuna superficie corporum eidem respondentia, quæ vel levissima sustentatione ab acutissimo cono, vel suspensione in libero ære deteguntur. Oblongorum autem centrum gravitatis exploratur, si illa vel immediate, vel mediante supposito plato æquilibrato, tensio horizontaliter funi, filo, aut prismatis trigonici aciei imponantur. Demonstratum hac ultima encheiresi est, centrum gravitatis in homine æquilibrato inter pubem & nates reperiri. Colligit vero facile ratio, centrum gravitatis avium in osse sterno, copiosissima carne musculosa prædicto, designari, tam cum alarum ventilabris in fluido æreo suspenduntur, quam cum aquis innatant, aut etiam deplumatæ aciei cultri imponuntur. Nec difficile est intellectu, bestiarum corpora depresso gravitatis centrum, & in regione abdominali situm habere, ex eorundem situ, quem perpetuo obtinent, cum aquis immerguntur. De piscibus in superioribus dictum fuit. Ex situ itaque centri gravitatis in homine, quod nostræ considerationis est, patet illud positum esse in parte corporis superiori; centrum vero magnitudinis paululum versus femora ab eodem distare: unde secundum leges hydrostaticas, quæ jubent partem illam, in qua centrum gravitatis reperiatur deprimi, sequitur, extenso in aquæ superficie corpore humano, caput primus submergi debere, quo ipso resperatio intercluditur; adeo ut quivis hinc facile

facile perspiciat hominem natura, nisi ars accedat, natare non posse. Brutorum autem conditionem in hoc negotio potiorem efficiunt situs centri gravitatis in ventre, capitis levitas, collum longius, ut reliqua taceam.

### COROLLARIUM.

**E**X doctrina de centro gravitatis plurimam fœneratur lucem explicatio artis funambulatoriæ, & reliquus animalium motus localis.

### PROPOSITIO VI.

*Respirationis negotium explicare.*

**A**D sustentationem vitæ maxima quidem est cibi & potus necessitas, ipsa tamen non minor certe est respirationis: hac enim sublata lethalis fax omnia illico vitalia viscera destruit. Præcipua respirationis organa sunt thorax, pulmones & diaphragma: modus in inspiratione fluidi aërei, gravitate non minus, quam elasticitate sua organa dūtendentis, & in exspiratione consistit. Usus est circulatorii motus liquidorum promotio, sanguinis conqualatio & notabilis liquidi perspirabilis evacuatio. Fœtus sine respiratione, piscis instar, in liquore membranarum natans, utero inclusus vivit. Atque idem quodammodo adulto possibile esset homini in aqua, si similis sanguinis circulo aditus, per foramen ovale & canalem arteriolum ad sinistrum cordis thalamum pateret: in hoc enim potissimum circulatio sanguinis in fœtu & adulto differt. Quoniam vero ab Anatomicis hæ viæ quandoque in adul-

13

tis & ætate proiectis apertæ inventæ sunt, haud improbabilis conjectura est, sanguinem circulantem, ob apertos hosce meatus, ipsis vitam sartam, tectamque præstare, qui, amphibiorum instar sub aquis moras necesse & diu urinare valent. Indos profecto, qui margaritarum pescationi student & diutius sub aquis commorantur, exercitio urinandi a teneris eogeré sanguinem suetum in utero materno circumulum quodammodo observare, credibile est. Prius vero quam experientia & observationum testimonia certiora hac de re inculcent, non diffiteorrem in utrāque partem pari fere certitudine dilputari posse. Debet autem experimenta primum in brutis institui, deinde tutius ex analogia ad hominem argumentari. Persuassissimus certe sum non alia re magis urinandi, natandique artificium facilitari posse, quam si tali ratione necessitas respirationis minueretur: videmus enim, quæ brutis præ hominibus ad natandum facilitas ex organorum, præcipue respirationis externorum, commodiore situ concessa sit.

#### COROLLARIUM.

**C**irculatio sanguinis per pulmones, ope aquæ loco aeris ad respirandum, continuari non potest.

#### SCHOLION.

**N**E autem existimet quis, me temere, ex vita foetus sine respiratione in utero, ad amplificationem artis natandi consilium deduxisse, verbo rationem reddim facti. Habet quidem foetus mutuam cum matre sanguinis circulationem, eamque ob cauissam in ipso partu & propter funis umbilicale

bilialis compressionem prematura mortis violentia non raro extinguitur: hoc tamen non obstante, ex anatomis observationibus, fide dignissimis, evidens est, factum aliquamdiu, etiam absque ejusmodi sanguinis materni communiōne, in utero vixisse, atque per os nutritum fuisse; donec faustis avibus lucis usura oculos hactenus clausos novo universi spectatori integrum fuit deletare. Quis statueret, aut circulationem sanguinis in tali casu cessavisse, aut eandem ope respirationis fuisse continuatum?

### PROPOSITIO VII.

*Remigii Gubernaculi necessitatem proponere.*

**T**HAT HUC ATQUE ILLUC IN AQUIS MOVEANTUR' CUIUS-  
EUNQUE GENERIS NAVIGIA, NECESSARIO INSTRUI DE-  
BENT, AUT VELORUM APPARATU, AUT RELIQUIS NAVIGATIO-  
NIS INSTRUMENTIS. TANTAS AUTEM MOLES LEVIS REMI-  
GII BENEFICIO MOVERI, ILLI MIRUM VIDERI NON POTES,  
QUI EX MECHANICA NOVERIT MAGNA PONDERA, IN MEDIO  
FLUIDO LIBERE SECUNDUM LINEAM HORIZONTALLEM MOTA,  
MINUS QUAM ALIOQUI RESISTERE: NEC IGNORAYERIT QUAN-  
TO VIRIUM COMPENDIO VECTIS AD MOTUM FACILITAN-  
DUM ADHIBEATUR. NAM, & REMUS, & TEMO IN NAVE  
RATIONEM VECTIS SECUNDI GENERIS HABENT; ADEO UT IN EX-  
ERCITIO REMIGIORUM ACTIO POTENTIE & PONDERIS RESISTEN-  
TIA CRESCANT IN RATIONE DISTANTIE A FULERO. QUOD IN E-  
JUSMODI MORTUIS PER AQUAM VEHENDIS REBUS, PRÆ-  
STAT GUBERNACULI & REMIGII APPARATUS, POTENTIIS  
MOTRICIBUS JUNCTUS, ID ARTUS IN ANIMALIBUS OPE VI-  
RUM

rium muscularium strenue agitati efficiunt. Verum enim vero, quoniam non æque aptam huic exercitio membra, rum conformatiōnem omnibus concessit natura, sed maiores, fortioresque pulmones, latiores palmas, robustioresque lacertos & flexibiliores articulos uni præ altero indulxit; per se patet unde veniat, quod aliis alio felicioris in arte natandi facere queat progressus. Quæ suæ natura consilio destinavit animalia, ut aquis innatent, præ ceteris privilegio quasi speciali hoc nomine quoque donavit: Brutis vero terrestribus præter commoditatem, quam antea ex situ oris & narum, ut & centri gravitatis disignavimus, eo favorabilior est pedum usus ad natandum, quo horum directio & figura, ut remigii officio fungatur, quam maxime idonea efformata sit. Usui autem huic in hominē non contempnendam præstare operam manuum pedumque actionem loquitur experientia, cui nec adversatur palmarum & plantarum configuratio, nisi accederet difficultas ex respiratione & centro gravitatis, quam ut quis in natationis statu constitutus tollat, hoc opus, hic labor.

### COROLLARIUM.

Hinc patet ratio, cur aves nonnullæ natare nequeant.

### PROPOSITIO VIII.

*Explicare in quibus præcipue ars natandi constat.*

Ex iis, quæ prop. V. & VI de centro gravitatis & respirationis negotio demonstrata sunt, facile patet, quid in causa sit, cur homo nataturus ad artem confugere necessum habeat. Ex triplici autem situ, quem homo in aqua obtinere potest, commodior non est aliis quam cum ventre supino jacet; sic enim organa respirationis externa supra aquæ superficiem facilissime eminent, nisi accedere

deret incommodum in explicatione brachidorum lo-  
co remigii. Hoc ipsum non potuit non necessita-  
tem imponere natantibus, eligendi alium in hoc negotio  
situm; illum nimiram, qui sit ventre prono, ubi, qua-  
ratione difficultas jam antea indicata, ex centri gravitatis  
& organorum respirationis positione, tolli queat paucis  
est monendum. Extensis manibus supra caput, contractis,  
que pedibus, evidens est aliud fore centrum gravitatis,  
idemq; transportari magis versus superiorem corporis par-  
tem; cui actui quando accedit colli & cervicis inflexio,  
cum elevatione pectoris supra horizontis parallelismum,  
ne respiratio a fluctibus impediatur, habemus in quibus  
ars natandi praecipue consistat. Remigiorum usus fa-  
ciliis & naturalis est. Debere vero nos inter na-  
tandum quam brevissime inspirare, seu acrem haurire,  
tardissime vero, quam fieri possit respirare, vel ipsa bru-  
ta natantia nos docent. Quod si cui minus exercitato pla-  
ceat pectori supponere vesicam coriaceam aere plenam,  
vel fasciculum junceum, haud leve experietur hoc in ne-  
gotio adjumentum.

### SCHOLION

**A**Nimus nataturi non sit motieulosus, nec nimium audax; sed  
artis hujus cupidus, caurus & alacer. Nam si quis hydro-  
phobia laborantem in gymnasium natationis ducere votet, ne il-  
le vana molimina in deliciis habet. Sed nec consiliosus judicerur  
in alterum extremum preceps rure & temeraria ratione in his  
ludis decertare; quippe periculosa est alea, quae multis exi-  
tio fuit. Atque ea propter consilium Potes pretiaturis darunt;  
Fortuna audaces juvat, non sine debita circumspectione huic  
negotio est applicandum.

### PROPOSITIO IX

*Ortum & utilitatem artis natandi indicare.*

**D**E primis artis natandi inventoribus curiosa magis quam  
uti-

utilis est questio. Atque propterea, deficientibus certis  
 historiarum testimoniis, parum interest utrum Tyriis, Cre-  
 tentibus, an aliis populis natales ejus concedamus. Sic  
 cur illorum sententia sit post habenda, qui necessitatem  
*cisum fortuitum, aut ex observatione in aquaribus ante navigiorum usum, analogam argumentationem occasionem artis tentandæ Jubini strasse afferant, non video.* Profecto ex r. fiduis super-  
 iorum etatum monumentis extra controversiæ aleam po-  
 situm esse existimarem, artem hanc quondam à Græcis, at-  
 que Romanis magni fuisse æstimatam: illi enim eam *Gymnasticis annumerabant ludis: hi quoque non solum e ruum*  
*& equorum deceratione in campo Mario, sed etiam natatione in Tiberi juvenes suos exercebant;* adeo ut proverbium de  
 deploratis liberis inde natum dicatur: *Neque naturæ, neque litteras addicit.* Agrigenti (munitissima olim splendidissima  
 maque Siciliæ urbe) in honorem Gelonis adeo magnifica-  
 cam aliquando ædificatam fuisse Natatoriam, ut ea ipsa  
 inter miracula mundi referretur, memorie proditum est.  
 Usum habet hac ars I. Politicum: tempore enim belli obfido-  
 clavis urbibus summo aliquando fuit solatio, & fugientibus vi-  
 tricia hostium arma non raro unicum salutis, vite, munimen-  
 tum praefluit, ut historicarum restantur monumenta; tempore vero  
 pacis arti urnatoriae auxiliatrices porrigit manus non solum ad  
 extrahendas res quascunque aquæ submersas, sed etiam ad ser-  
 vantes homines improviso casu in aqua illatos, & opinione citius  
 altoquin suffocandos. II. Medicum non eo tantum nomine,  
 quod fordes & sudores, glandules subcutaneas obturantes, abluat,  
 visciditatesque in extremitatibus, pororum exprimat; sed etiam  
 quod flaccidis in extrema corporis superficie fibris tonum, rigiditatem  
 & robur addat; quamquam celi inclemens rarius in has  
 boreali plaga hum artis usum processui medendi inseri patiatur.

Exempla præcellentium Natatorum passim apud Historicos occur-  
 sunt, nullum v. illustrius illo, quod habet Kirketus de Nicol.  
 Pelleccola. vid. Mund. Subter. lib. 2. c. 15. pag. 98:

## PROPOSITIO X.

*Quomodo homo sub aquis vivere possit explicare.*

Videtur hæc propositio aliena ab instituto esse: at si bene subducta ratione artem natandi cum peritia urinandi sororio vinculo cohærere advertatur, patet eam haud longe a præcedentibus recedere. Quandoquidem respirationem ad vitam homini absolute necessariam esse observatum est, excogitata sunt variæ machinæ, quibus urinatores, ad deportandum sub aquis secum respirationis alimentum, usi fuerunt. In his notissima sunt vasa cylindrica cava, in superiore tantum fundo clausa & ab appensa peryasti ponderis vi suppressima; item lebetes & dolia, quorum usus est antiquissimus. Sic quoque cannales stricti coriacei, filis ferreis spiraliter contortis dilatati, qui altera sua extremitate arctissime caput urinantis includunt, & altera supra aquæ superficiem pro libero aëris commeatu hiant, usurpati sunt. Præter hoc ex cogitata est *Navis urinatoria*; itemque methodus satis speciosa, quæ loco vesicæ in piscibus, urinatorem grandi munis syringa dilatabili & compressili, ad mediecatem corporis alligata cingulo, continens mollem aëris aequalem uni pedi cubico, pro specifica gravitate, vel augenda, vel minuenda; dum juxta alio instrumento respirationi prospiciat, vesica nimirum area, fissula incurvata & pitris visui inservientibus prædicta, cum annexa ousta pellea. An vero aliquis his munitionis subsidiis aliquando urinatus sit, mihi nonendum innotuit. Invento autem campana urinatore nihil est præclarius, de qua multa satis varii scripserunt auctores; cuius usus amplior redditus est, postquam duobus dolis, lagenis aut vesicis alternatim demergendis, aëris ad respirationem in pennis novo aere sapius redintegratur. Atque hoc quidem apparatu, *Urinatoria*, que in patria hac nostra nunc floret, *Societas*

(*Dylem Compagniet*) utitur.

S. D. G.